



**E** Berhardus filius fuit Ludouici comitis Vuir-  
 tenbergensis, qui anno Christi 1450 mortuus  
 hunc Eberhardum puerum quinque annorum super-  
 stitem reliquit. Itaque mater eius Alberto Archidu-  
 ci Austriae nupsit, ita ut Eberhardus reliquum pue-  
 ritiae tempus sub tutoribus egerit. Paulo post Ioan-  
 ne Nauclero praepceptore usus, breui tempore lege-  
 re & scribere didicit. proculdubio etiam Latinam  
 linguam & humaniores literas feliciter percepisset,  
 nisi tutores (pro more eius seculi) id praepcepto-  
 ri inhibuissent, quod quidem postea Eberhardus  
 uir factus ægerrime tulit. Itaque adolescens post fra-  
 tris Ludouici obitum Imperium arripuit, atque suis

moribus idoneos & fauentes consiliarios adsciuit, neglectis seniorum moni-  
 tis. Horum consilio & ope ductus, nihil inexpertum relinquere uoluit. Vidisset  
 luctandi, saltandi, dimicandi, hasta ludendi, & uenandi quasi perpetuum  
 studium. At ubi exacta penè adolescentia, ratione uitam instituendam uide-  
 ret, mores mutauit, atque cum decenti comitatu terram sanctam & sepulchrum  
 Domini inuisit.